Osservaz[illegible]
[illegible]

SPECIMEN OBSERVATIONUM AD NESTORIANAM HISTORIAM,

Ac varios tum veterum, tum recentiorum Auctorum, qui eam attigerunt, locos.

Auctore LUDOVICO DUCINO
Societatis JESU *Presbytero.*

PARISIIS,
Apud JOANNEM GUIGNARD, Bibliopolam, viâ Jacobæâ, ſub Signo S. Joannis Baptiſtæ.

M. DC. XCVIII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

DE

POSTREMA ACTIONE

CONCILII

CALCHEDONENSIS,

Cum reliquis ejuſdem Sanctæ Synodi Actionibus in ſpeciem pugnante.

DOCTIS & Antiquitatis ſtudio deditis Viris, quotquot hactenus floruerunt, eveniſſe non miror, ut in perſcrutandis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Monumentis, plures ac mirè intricatas difficultates deprehenderent, in quibus enodandis operosè ac diutiùs natio Eruditorum omnis elaboraret. Verùm portento ſimile videbitur, eos præſertim

qui noſtram ætatem criticis obſervationibus mirificè illuſtrarunt, Patrumque & Conciliorum apices omnes excuſſerunt, præterire potuiſſe in Concilio Calchedonenſi eam, quâ nuſpiam major videtur eſſe, actionum inter ſe & inſtrumentorum pugnam. Rem tamen ita ſe habere docebit ipſa, quam exponam modò, totius controverſiæ ſeries. Neque verò eſt quod mihi gratuler hunc nodum fuiſſe à me deprehenſum, cùm eundem à me ſecari non potuiſſe ultro confitear. Itaque non magiſtri, ſed diſcipuli potiùs hîc partes ago. Interrogandi enim neceſſitate, non definiendi conſilio præſens diſputatio propoſita eſt, ut ab aliis quicumque ſunt orbe toto eruditis hominibus ænigmatis, meo judicio perobſcuri, ſolutionem exquiram.

Atque erit illud quaſi *Specimen* edendarum à nobis fortaſſe poſtea *Obſervationum ad Neſtorianam Hiſtoriam, & varios auctorum, ſeu veterum, ſeu recentiorum, qui eam attigerunt, locos.*

Conſcribenti mihi Hiſtoriam hanc, quæ Gallico noſtro ſermone nuperrimè prodiit, inveſtigandum inprimis fuit qualem inter cæteros orbis Antiſtites lo-

cum & gradum obtineret Præſul Conſtantinopolitanus tùm, cùm Neſtorius hanc in ſedem evectus eſt. Neminem latet quàm ſit varia ſuper ea re doctiſſimorum hominum opinio: aliis exiſtimantibus Epiſcopos novæ Romæ ante Calchedonenſem Synodum infimi ordinis fuiſſe Præſules, & Heracleenſis Primatis duntaxat ſuffraganeos: aliis contra pugnantibus jam tum à ſecundo Oecumenico Concilio cœpiſſe illos Patriarchalem Juriſdictionem exercere, ac primum à Romano Pontifice locum tenuiſſe: aliis denique opinantibus illos quidem præcipuo jam tum potitos fuiſſe gradu, at juriſdictione non item.

Super ea quæſtione dum expendo, quàm accuratiſſimè poſſum, quid cenſeat Baronius, magnum illud ſacræ purpuræ decus ac lumen; quid Lupus vir inter eruditos hujus ævi multorum judicio magnus, quid alii complures arbitrati ſint; deprehendere mihi videor longè graviorem cauſam ambigendi quàm illam ipſam quæ doctiſſimis hominibus negotium faceſſit.

Nimirum pugnant illi de gradu quem apud Græcos obtinebat Conſtantinopolitanus Epiſcopus ante Calchedonenſem

Synodum; neque de illo gradu certant, quem idem ille tum obtinebat etiam apud Latinos. Difficilis cujuſdam problematis loco habent, an Patriarchale ſibi jus arrogaverit eo temporis intervallo quod ſecundum inter & quartum Concilium fluxit: cùm nullo negotio res decidi queat, & ex aliis pleriſque monumentis, & ex ipſo quarti Concilii multiplici teſtimonio. Quod verò longè præcipuum eſt, id illi ſcilicet præclari nominis Scriptores, prætermiſere penitus; neque ullus, quem ſciam, laborare viſus eſt quemadmodum conciliaret tot tamque expreſſos hujus quam dixi, quartæ Synodi locos, ubi videntur Latini locum & jura ſecundi Patriarchæ Conſtantinopolitano Epiſcopo concedere, cum hujuſce Synodi actione poſtrema ſcriptiſque aliis compluribus, ubi Latini iidem eidem ipſi Epiſcopo Conſtantinopolitano gravem ſuper ea re litem intendunt, certumque illis ac deliberatum videtur eſſe nunquam hunc ei locum ac jus permittere.

Levem autem profectò & exilis monumenti quæſtionem eſſe arbitror quæ movetur de origine Conſtantinopolitani Patriarchatus apud Græcos; præ

illa multò ſanè graviſſima & ad ſolvendum difficillima, quæ rationem ſpectat quâ ſe erga illum ipſum Novæ Romæ Epiſcopum Latini geſſerunt, cui Patriarchatum uno eodemque tempore annuunt abnuuntque, ſi tamen Calchedonenſibus Actis habeatur fides. Abſit enim ut ex iis quæ dicturus ſum quiſquam aliquid colligat concludatve iniquius adversùs Sanctæ Sedis Legatos, perinde quaſi eos aut imprudentiæ accuſem, aut pugnantia loqui contendam: cùm multo potiori jure dicendum videatur acta ipſa (ſiquidem conciliari inter ſe nequeant) depravationis ea parte ſuſpecta eſſe, quod eatenus tamen conceſſero, ſi nullus alius difficultatis decidendæ modus opportunior invenietur. Interim id unum ſpecto, illius ut ſtatum clarè conſtituam, & quæram quo pacto prima pars Calchedonenſium Actorum conciliari cum poſtrema poſſit; tum quæ in utramque partem diſputantur, afferam.

Verùm ordinis ac perſpicuitatis ratio, cui præcipuè conſulendum eſt, poſtulat alteram, quam levem dixi, difficultatem, non divelli ab altera, quæ gravior. Utramque igitur proponam, ut

quod demum videbitur, ipsimet Lectores eruditi statuant.

§ 1.

Prima leviorque difficultas hæc est, quonam tempore Constantinopolitanus dici & censeri cœperit primæ post Romanam Sedis Episcopus, ac Thracicæ, Ponticæ, demumque Asianæ Diœceseωn moderator?

Censet Baronius ante Anatolium nemini regiæ civitatis Episcopo venisse in mentem Alexandrino præire, ac jura Patriarchæ sibi vindicare. Quia verò laudatus Calchedone fuit Canon secundæ Synodi hunc in modum decernentis, *Constantinopolitanæ Civitatis Episcopum habere oportet Primatûs honorem post Romanum Episcopum, propterea quòd sit nova Roma*. Canonem hunc Eminentissimus Annalium Conditor spurium atque subdititium vult haberi. *Porro*, inquit, *non usos esse ascititii illius Canonis auctoritate de Primatu Constantinopolitanæ Ecclesiæ Prædecessores Episcopos Constantinopolitanos*, QUOD NON EXTARET ILLE QUIDEM, VEL COMMENTITIUM ESSE SCIRENT, *ex rebus ante hæc tempora gestis potest perfacilè intelligi. Unde appositè qui-*

dem Paschasinus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus illa subintulit: Si usi sunt, quid requirunt? si non usi, quare requirunt? *At quo animo ista tulerit Leo Pontifex, suo loco dicemus* Ita ille. *Ad ann.461. n.* CLXIV.

Verùm, pace tanti viri dixerim, neque Leonem Pontificem, neque Leonis Legatos memoratum Canonem pro suppositio habuisse, sed tantum pro irrito & casso, quem nec Roma susciperet, neque Græcia ipsa usu hactenus firmasset, documento sunt quæ Baronius ipse refert Leonis ad Anatolium verba. *Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante 60. ut jactas, annos facta subscriptio, nunquamque à Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc & inutilia subjicere fomenta voluisti Epist.* 53.

Neque verò in aliam sententiam Legati Leonis disseruerunt. *Accedit ad cumulum*, inquit Lucentius eorum unus, *quod trecentorum decem & octo Constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantùm fecisse noscuntur, quæ dicunt ante octoginta*

* *prope annos constituta fuisse. Si ergo his temporibus*, pergit Lucentius, *hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt?* Hîc certè ne vestigium quidem est accusationis falsi. *Gloriosissimi Judices dixerunt: Utraque pars Canones proponat. Paschasinus ... Vicarius Sedis Apostolicæ recitavit. Trecentorum decem & octo Patrum Canon Sextus, &c. Constantinus ... ex dato Codice ab Aëtio Archidiacono recitavit ... Synodicum primi Concilii sub Nectario Episcoporum centum & quinquaginta, &c.*

Lecto Canone Legati ne verbum quidem faciunt quo suspectæ illum fidei reddant: hoc tantum dicunt, *Sedem Apostolicam ipsis præsentibus humiliari non debere*; ideoque suam intercessionem in Acta referri postulant. Neminem verò moveant hæc Lucentii verba: *Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si nunquam usi sunt, quare requirunt?* Ut enim omittam longè aliter in Codice Græco scriptum esse, nimi-

---

* Adverte Canonis ejusdem annos à Leone quidem sæpius numerari 60. aut ferè 60. à Legatis verò 80; cum neque 60. neque 80. sed omnino 70. numerari debuerint, quot nempe interlapsi sunt à 381. ad 451.

tum : *Si ergo his temporibus beneficio usi sunt, quid nunc requirunt, quo non secundum Canones usi sunt?* Adeo verbis istis Lucentius Canonem falsi non revincit, ut ne velit quidem in usu non fuisse: tantum ait usum, si quem habuit, non fuisse tranquillum & litis immunem. Quod enim decessorum Anatolii quidam saltem Primatum affectarint, non diffitetur Leo Epistolâ 55. ad Pulcheriam Augustam. *Nam sexagesimus*, inquit, *ferè annus hujus jactantiæ esse jactatur, quâ se prædictus Episcopus æstimat adjuvari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiam si quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere.*

Stat igitur, Leone teste, nec suppositum esse Canonem Constantinopolitanum, nec pro nullo eum habuisse, quotquot fuerunt Anatolii decessores. Quis enim nescit, tum in Synodicis Litteris hujus ipsius Concilii, tum in Edicto Magni Theodosii pro Ecclesiarum restitutione, & in omnibus deinde, sive politicis, sive Ecclesiasticis instrumentis, Nectarium ejusque Successores appellari ante Timotheum ac subsequentes Alexandriæ Episcopos; argumento utique manifesto Primatum ali-

quem, ſeu jure ſeu vi, Conſtantinopolitanos id temporis Præſules obtinuiſſe.

Jam verò ubi quæritur Primatus ille ſolius honoris eſſet, an etiam juriſdictionis? Chriſtianus Lupus * honoris tantùm reſpondet eſſe, non juriſdictionis. *Etenim ſecundus Canon* (inquit) *diſertè mandat etiam Thracicam Diœceſim quoad omnia more vetuſto adminiſtrari juxta Nicœnum Canonem, utique à Primate Heracleenſi, à cujus Metropolitica, non tamen Primatiali auctoritate erat exemptus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſolo honore & nomine Metropolita.... Quod verò etiam tempore Sancti Leonis Magni, poſt invaſas Synodi Calchedonenſis auctoritate tres autocephalas Diœceſes, nullos habuerit Conſtantinopolitanus comprovinciales Epiſcopos, non obſcurè colligi datur ex Anatolii Conſtantinopolitani & Joannis Heracleenſis Epiſcopi litteris ad Leonem Auguſtum, extantibus poſt jam dictam Synodum. Anatolius ſolus, Joannes cum tota Europæ Synodo ſcribit, tanquam verus atque integer Metropolita. Et Synodo Florentinæ Antonius Heracleenſis Epiſcopus ſubſcripſit, ut totius Thraciæ &*

* *Concil. & Can. Tom. 1. ad. 3. Can. C P. pag. 229. & ſeq.*

Macedoniæ Primas, exutus tamen Autocephalia.

Hujus vim argumenti, fateor, non percipio. Probat. Lupus nihil Jurisdictionis novæ Romæ Præsuli secundam Synodum tribuisse: idque ex eo probat, quod Thracia nihilominùs parere jussa est Heracleensi Episcopo, parebatque adhuc sæculis consequentibus, imo & postremis, tempore scilicet Florentini Concilii. Atqui vel nihil conficietur illinc adversùs Constantinopolitanum Antistitem; vel conficietur nimiò plus, eum scilicet necdum in Florentina Synodo potitum fuisse jurisdictione Patriarchicâ: de hac quippe sola quæritur, utrum illam ipsi tribuerit secunda Synodus in tres Diœceses, non de Metropolitica in unam singularem provinciam. Non, inquam, disceptatur, utrum propriam jam tum provinciam habuerit Constantinopolitanus Antistes; neque utrum vetusto more cessarint administrari Diœceses tres, Thracica ab Heracleensi, à Cæsariensi Pontica, Asiana denique ab Ephesino, sed utrum ab iis nulli adhuc Patriarchæ subjectis? Quæ verò contrarium suadeant, scimus esse multa.

1°. Gerontius Nicomediensis à Necta-

rio pœne depositus, à Chrysostomo etiam ejectus. *Sozomen. l. 8. c. 6.*

2°. Pansophius in ejecti locum ab ipsomet Chrysostomo ordinatus. *Ibid.*

3°. Libellus suplex ad eundem Joannem destinatus, partim à Clero civitatis Ephesinæ, partim ab Episcopis Asiæ, *omnibus pavendo cum juramento orantibus, ut quoniam priori tempore confusè & contra jura & statuta Patrum gubernati essent, descenderet & formam aliquam Ephesinæ imponeret Ecclesiæ diutissimè afflictæ.* V. *Libell. ipsum apud Pallad. in Dial.*

4°. Synodus ab ipso collecta septuaginta Episcoporum Asiæ, Lydiæ, Cariæ. *Ibid.*

5°. Ephesinus, & alii tredecim in Asia Episcopi ab ipso depositi; tum Heraclides ab eodem Ephesiorum Primas ordinatus. *Sozomen. lib. 8. c. 6.*

6°. Theodoretus de eodem Chrysostomo testatus, quod *non Urbem duntaxat Regiam Episcopali curâ ac sollicitudine gubernabat, sed & universam Thraciam, quæ in tres Provincias divisa est, & Asiam totam, quæ ab undecim Provinciis regitur. Ponticam præterea iisdem Legibus ordinavit, quæ totidem Rectores habet quot Asia. Eccl. Histor. l. 5. c. 28.*

7°. Theodosii & Agapeti, uter Synnadorum Phrygiæ legitimus Episcopus esset, causa ab Attico judicata. *Socrat. l.7. c. 37.*

8°. Consequentium ejusdem Urbis Episcoporum ad Marinianum usque (is verò Calchedonensi Concilio interfuit) creatio Attici Successoribus delata. *Concil. Calched. Act. ult.*

9°. Sylvanus ab eodem Attico, primum Philippopoleos in Thracia, deinde Troadis in Phrygia Episcopus consecratus. *Socr. l. 7. c. 37.*

10°. Thalassius nomine civitatis suæ Cæsareæ missus ad Proclum ut Episcopum postularet. Ipseque ab eodem Proclo consecratus Episcopus & Cappadociæ Primas. *Socrat. l. 7. c. 48.*

11°. Eusebius Ancyranus, & Petrus Gangrensis à Proclo ordinati; Petri Decessores tres ab eadem Sede creati, *Concil. Calchedon. Act. ult.*

12°. Leontius & Aberius Presbyteri ab Episcopis Armeniæ ad eundem Proclum *missi secundùm morem*, ait Liberatus, *ut judicium acciperent de volumine Theodori, utrum ejus doctrina vera esse probaretur*, Breviar. c. 10.

13°. Judicium illud Procli susceptum

ab Antiocheno Joanne, quantumvis ipſi multiplici nomine ingratum. *Ibid.*

14°. Ibæ Edeſſeno Judices à Flaviano dati. *Concil. Calchedon. Act.* 10.

15°. Berytenſis Provincia ab Anatolio inſtituta. *Ibid. Act.* 4.

His argumentis, ut cætera taceam, nemo certè negaverit demonſtrari omnino, non quidem jus, at certè uſum juriſdictionis in Provinciis Thraciæ, Ponti & Aſiæ, nec raro etiam in aliis Orientis Throno ſubjectis. Ea de re qui controverſiam movet, næ is nodum in ſcirpo quærit.

§. 2.

At Gordius ille nodus quem dixi nunc exhibendus: ita tamen (hoc enim jam ante præmonui) nemo ut ſuſpicari debeat Legatos à me reipsâ accuſari quaſi pugnantia loquantur. Quod enim accuſare videar, facit neceſſitas exponendæ difficultatis; cujus quidem ſolutionem ut in me non ſuſcipiam, pro certo tamen habeo ſolvi illam poſſe ſine ulla reprehenſione Legatorum, cum antilogia & pugna quantacunque eſt, Actorum haud dubiè non Legatorum ſit; actorum, inquam, qualia nunc habentur. Verùm

erit doctorum hominum aliter, si malint, huic difficultati occurrere: meum est illam ob oculos dilucidè ponere.

Duobus omnino continetur Primatus, honore scilicet ac jurisdictione. Utrumque novæ Romæ Episcopis suo ultimo Canone tribuerunt Calchedonenses Patres; jurisdictionem quidem in tres duntaxat Diœceses; honorem verò consessus ubicumque præ cæteris orbe toto Episcopis, Romano excepto. En ipsa Canonis verba: *Definitiones SS. Patrum sequentes ubique, & regulam quæ nunc relecta est centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt piæ memoriæ impetratore Magno Theodosio in Regia Civitate Constantinopoli novâ Româ cognoscentes, & nos eadem definimus de Privilegiis ejusdem sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ novæ Romæ. Etenim Sedi senioris Romæ, propter Imperium Civitatis illius Patres convenienter Privilegia reddiderunt; & eadem intentione permoti centum & quinquaginta Dei amantissimi Episcopi æqua sanctissimæ Sedi novæ Romæ Privilegia tribuerunt, rationabiliter judicantes Imperio & Senatu Urbem ornatam, æquis senioris Regiæ Romæ Privilegiis fruentem, & in Ecclesiasticis, sicut illam, Majestatem habere negotiis,*

& secundam post illam existere; & hos qui de Ponto sunt, & de Asia, & de Thracia Diœcesibus Metropolitanos solos; rursus autem & qui inter Barbaros sunt Episcopos præfatarum Diœcesum ordinari à prædictæ sanctissimæ Constantinopolitanæ Sedis sanctissima Ecclesia; quippe, ut unusquisque Metropolita præfatarum Diœcesum cum suis Episcopis ordinet suæ Regionis Episcopos, sicut divinis Canonibus est præceptum: ordinari autem, sicut dictum est, Metropolitas præfatarum Diœcesum à Constantinopolitano Archiepiscopo Decretis consonis (electionis) *secundum morem factis & ad eum relatis.*

Clariùs exprimi non potuere sive honor consessus, sive jurisdictionis fines. At sive de consessu, sive de jurisdictione consentire Legati perinde abnuerunt, ut pote quibus fixum esset ne latum quidem unguem à Nicæno Canone recedere, quo utrumque perinde vetabatur. *Quæcumque in præjudicium Canonum hesterna die gesta sunt, nobis absentibus,* inquiunt, *sublimitatem vestram petimus* (Judices alloquuntur) *ut circumduci jubeatis. Sin alias, contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noverimus quid Apostolico viro Universalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus; ut ipse, aut de sua Sedis injuria,*

aut

aut de Canonum eversione possit ferre sententiam.

Ita Legati Leonis Actione postrema; quibus dictis continuò recesserunt. Leo verò sæpius contestatur jurisdictionis limites Nicæno Canone definitos moveri nullatenus posse; neque verò se passurum unquam, ut *secundi honoris privilegium* auferatur Alexandrino; Antiocheno verò *tertii*.

Revolve jam, si placet, Erudite Lector, Acta Calchedonensia. Stupebis, opinor, hoc ipsum *secundi honoris privilegium*, de quo tantopere ultimâ tandem Actione contenditur, ne Alexandrino pereat, periisse illi jamdudum, non tacentibus modò, sed disertè probantibus Legatis; qui, & primâ, & secundâ, & quibusvis aliis Concilii Actionibus, Anatolio detulerunt Primatum honoris post Romanum Pontificem, nec semel concesserunt Primatum jurisdictionis.

Actio prima sic incipit: *In Nomine D. N. Jesu Christi. Consulatu Piissimi Amatoris Flavii Marciani, congregatis, in Ecclesia sanctæ & triumphatricis Martyris Euphemiæ gloriosissimis Judicibus . . . . conveniente etiam sancto & universali Concilio, secundum sacram præceptionem in Calchedo-*

nensi Urbe congregato, id est,

Paschasino & Lucentio Reverendissimis Episcopis, ac Bonifacio Religiosissimo Presbytero tenentibus locum Sanctissimi & Reverendissimi Archiepiscopi almæ Urbis Romæ, *&*

Anatolio Sanctissimo Archiepiscopo *inclytæ Urbis Constantinopolis, novæ Romæ, &*

Dioscoro Reverendissimo Episcopo magnæ Alexandriæ Civitatis, & reliquis Sanctissimis & Religiosissimis Episcopis, id est,

Maximo Antiochiæ Syriæ,

Juvenali Hierosolymorum,

Quintillo Heracleæ Macedoniæ, &c.

Thalassio Cæsareæ Cappadociæ, &c.

Ecce Dioscorum, ecce Maximum privatos secundi & tertii honoris privilegio. Anatolius perinde ac Leo *Sanctissimi Archiepiscopi* titulum gerit. Dioscorus *Reverendissimi* tantùm *Episcopi*: Maximus verò, quasi Præsidum numero exclusus, rejicitur in turbam. Hoc fortè ignorabant Legati qui sibi assidentem Anatolium haberent? Nondum legerant Canonem Nicœnum? Quidni igitur Anatolium loco moverent, iisdemque maturè verbis admonerent, quibus postea Leo Magnus: *Doleo in hoc dilectionem*

tuam esse prolapsam ut sanctissimas Nicænorum Canonum Constitutiones conareris infringere; tanquàm opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietates tertiæ dignitatis amiserit.

Sed parùm fuit Legatos dissimulasse; etiam apertè professi sunt primum Constantinopolitano locum deberi.

Nempe cùm legerentur eâdem primâ Actione Acta Latrocinii Ephesini hunc in modum: *Tempore Zenonis & Posthumiani Venerabilium Consulum, Synodo congregata in Epheso Metropoli, residentibus in Sancta Ecclesia quæ vocatur Maria, Dioscoro Alexandriæ & Juliano Episcopo agente vices.... Sanctissimi Leonis.... & Juvenale Hierosolymorum, & Domno Antiochiæ, & Flaviano Constantinopolis.* Audito nomine Flaviani quinto duntaxat loco sedentis statim interturbatus est Lector: *& cùm legeretur*, inquit Codex Calchedonensis, *Orientales & qui cum ipsis Reverendissimi Episcopi* (Calchedone congregati) *clamaverunt*... FLAVIANUS IN PROPRIO LOCO QUARE NON SEDIT? CONSTANTINOPOLITANUM EPISCOPUM QUARE QUINTUM PO-

SUERUNT ? Qui ſic clamant, Orientales ſunt, quibus Antiochena jura debent eſſe cordi. Audiuntur verò à Legatis Romanis. Quin eos iſti comprimunt ? Quin docent contra propriam rem venire, ſuique ipſorum Patriarchæ cauſam prodere ? Sed, quid ego hæc, quaſi non adeſſet idem ille Patriarcha ; vel credibile ſit Orientales, eo præſente, clamores ejuſmodi edituros, niſi præiret ipſe, maximéque vociferaretur, *Flavianus in proprio loco quare non ſedit? Conſtantinopolitanum Epiſcopum quare quintum poſuerunt?* Rurſum igitur quæro, cur eum Legati non rogant, *meminerit Sedis ſuæ*, ac Petri illius Fundatoris ; jura ſacroſancta violari ne ſinat : meminerit Nicæni Canonis ; aut ſi nullam ejus rationem duceret, quin admonent mandatum ſe à Leone accepiſſe de *retundendis, qua par eſt conſtantia, iis qui fortè Civitatum ſuarum ſplendore confiſi aliquid ſibi uſurpare tentaverint.** Tunc enim maximè erat neceſſarium, cùm apertè uſurparetur quidquid præcipuum eſt. Jam verò Dioſcorus, cui crimini dabatur, quod Flavianum *non proprio*, id eſt, *pri-*

* Actione ultimâ.

mo, uti jam videbitur, ſed *quinto* duntaxat loco admiſiſſet, Dioſcorus, inquam, cui nihil potius eſſe debuit quàm ne excuſatione careret, cur non conteſtatur ſe injuſtè accuſari: Canones fuiſſe ſervatos: Primum poſt Romanam ſedi ſuæ locum deberi? Nihil horum Dioſcorus. Verùm, eo tacente, etiam ne Legati tacent? Imo verò, indignantibus quintum duntaxat Byzantino Epiſcopo locum ceſſiſſe, Paſchaſinus dixit: *Ecce nos, Deo volente*, DOMINUM ANATOLIUM PRIMUM HABEMUS: HI QUINTUM *poſuerunt Beatum Flavianum*. Quæ Legati verba excipiens *Diogenes Reverendiſſimus Epiſcopus Eccleſiæ Cyzici dixit*: QUONIAM VOS REGULAS SCITIS. Quas autem *regulas* cogitare poſſumus, niſi ſecundæ Synodi? Itaque prædicant Legati, neque tantùm facto, ſed & ore docent, novæ Romæ Pontificem ordine & dignitate antecellere, tum Alexandrino, tum Antiocheno: quin hanc ipſi prærogativam deberi vi Conſtantinopolitani Canonis, cui non obtemperaſſe Pſeudo-Synodum Epheſinam criminis loco ducunt. Ita illi Actione primâ. Quibus ut cohæreant quæ in poſtrema, fateor me non aſſequi.

Sed neque primâ tantùm Actione post Legatos primus sedet Anatolius : in secunda & tertia & singulis deinde , imo in ipsa postrema , cum lis ei de Primatu diceretur , more solito à Legatis admissus est ad latus.

Actio II.

vi. *Idus Octob.... conveniente sancto & universali Concilio, id est,*

Paschasino & Lucentio Reverendissimis Episcopis, & Bonifacio Presbytero agentibus vicem sanctissimi Archiepiscopi Leonis, &

Anatolio Sanctissimo Archiepiscopo magni nominis Constantinopolinanæ Civitatis novæ Romæ,

& cæteris Sanctissimis & Religiosissimis Episcopis, id est,

Maximo Antiochiæ Syriæ,

Stephano Ephesi, & cæteris. Aberat Dioscorus, jamjam deponendus.

Actio III.

iii. *Idus Octob.... Congregato universali Concilio, & considentibus Sanctissimis & Reverendissimis Episcopis, id est,*

Paschasino & Lucentio Episcopis, & Bonifacio Presbytero gerentibus vicem San-

ctissimi & Beatissimi Archiepiscopi Leonis &

Anatolio Constantinopolitano, Maximo Antiocheno, Stephano Ephesino &c....

ACTIO IV.

XVI. *Kal. Novemb.....Congregato...sancto universalique Concilio....hoc est,*

Paschasino & Lucentio Episcopis, & Bonifacio Presbytero, habentibus locum Sanctissimi & Deo dilectissimi Episcopi senioris Romæ Leonis, &

Anatolio magni nominis Constantinopolis novæ Romæ Episcopo,

& reliquis Sanctissimis & Reverendissimis Episcopis, id est,

Maximo Antiochiæ Syriæ &c. atque ita perpetuò.

Jam verò ubi dicenda sententia est, vel alicui definitioni sive instrumento subscribendum, statim post Legatos Anatolius censet, & subscribit, ante Maximum Antiochenum, ante Juvenalem Hierosolymitanum, ante cæteros omnes. In proponendis negotiis, in interrogandis testibus, simul cum Legatis Præsidem agit; non quidem eodem ordine, sed eo qui solis Patriarchis convenit, ut ex Actis Nicœnis patet. Imo

in ipso consessu disertè appellantur Leo & Anatolius *Concilii* Principes. En verba Eustathii Berytensis Actione quartâ. *Sanctum generaleque Concilium, cujus* Principes sunt, *Deo amabilissimi & Sanctissimi Patres nostri Leo & Anatolius.* Nemini igitur dubium esse potest quin toto durante Concilio Legati Calchedonenses Anatolio detulerint secundi honoris privilegium.

At quid si primi? Quid si Legatis ipsis præisse Anatolius cernitur? Neque unâ duntaxat vice, nimirum Actione quintâ; quando jubente Imperatore selecti sunt Episcopi octodecim, sex videlicet ex Oriente, ac tres ex aliis singulis Diœcesibus Ponto, Asiâ, Thraciâ & Illyrico, ut seorsum in Oratorio Sanctæ Martyris Euphemiæ de Fidei definitione deliberarent, *præsentibus Sanctissimo Archiepiscopo Anatolio & Reverendissimis Romanis .... & rogati ab omnibus Gloriosissimi Judices intraverunt in Oratorio Sanctissimæ Martyris Euphemiæ; unà cum* Anatolio *Reverendissimo Archiepiscopo Constantinopolitano, &* Paschasino *& Lucentio Reverendissimis Episcopis & Bonifacio Presbytero & Juliano Reverendissimo Episcopo Coensi* Vicariis Apos-

tolicæ Sedis *Romanæ magnæ civitatis*, *necnon &* Maximo *Reverendiſſimo Epiſcopo Antiochiæ Syriæ &* Juvenale *Reverendiſſimo Epiſcopo Hieroſolymitano*, *&c.*

Rursùs Actione duodecimâ de Baſſiano & Stephano, uter Epheſinus Epiſcopus eſſe deberet; ſententiam dicit primus omnium Anatolius, ac poſt illum Legati. Neque hoc ſemel: nam cùm Judices poſtulaſſent afferri ſacro-ſancta Evangelia, inque eorum conſpectu rursùs unumquemquè ſincerè ac bona fide dicere quid ſentiret, Anatolius iterùm agmen agit, ac primus omnium decernit. Poſt illum verò Legatus Paſchaſinus, deinde Maximus Antiochenus, Jnvenalis Hieroſolymitanus, ac cæteri ſuo quiſque ordine. Tum Judices quærunt: *Placetne Sancto Concilio interlocutio* D E I *amantiſſimi Archiepiſcopi Anatolii & Reverendiſſimi Epiſcopi Paſchaſini, obtinentis locum Romanæ Apoſtolicæ Sedis, quâ declaratum eſt ambos quidem eſſe removendos: alterum verò ordinari debere .... Sancta Synodus exclamavit, hæc pia interlocutio hæc ſecundùm regulas eſt .... Glorioſiſſimi, Judices dixerunt: quoniam placuit univerſis interlocutio* D E I *amantiſſimi Ar-*

chiepiſcopi Regiæ Conſtantinopolis Anatolii & Reverendiſſimi Epiſcopi Paſchaſini, obtinentis locum Leonis DEI amantiſſimi Archiepiſcopi ſenioris Romæ, præcipiens, eò quòd uterq; contra regulas factus eſt, neutrum eorum præeſſe Sanctiſſimæ Epheſiorum Eccleſiæ.... removebuntur..... Omnis Sancta Synodus exclamavit. Hæc juſta ſententia, hæc juſta forma, hæc bene habent.

Vides non temerè, ſed conſilio, neque ſemel duntaxat, ſed conſtanter tota hac in Actione Anatolium primo loco appellari, ſecundo verò Legatum, deinde cæteros Concilii Patres; nullibi verò in toto Concilio eum reperies, vel appellari, vel ſedere, vel ſententiam dicere poſt ullum è Græcis Patriarchis; ſed ſemper ante Alexandrinum, quandiu is adfuit, ſemper ante Antiochenum, ſemper ante cæteros omnes Epiſcopos, ubique iiſdem elogiis ac titulis celebratum, quibus Leo, *Sanctiſſimi, DEI amantiſſimi Archiepiſcopi Anatolii*, qui titulus nulli præterea conceditur.

Hactenus de honoris privilegio; reſtat ut de juriſdictione, quæ erat ſecunda pars, videamus.

Actione quartâ Photius Tyri Metropolita ſibi reſtitui poſtulat urbes non-

nullas ab Eustathio Berytensi ereptas, eo nimirum pretextu quòd Berytus ab Imperatore Metropolis facta esset, ac proinde novam provinciam Ecclesiasticam constituere deberet. Contendebat Photius privilegia Civitatibus ab Imperatore concessa nihil habere commune cum Ecclesiastica jurisdictione, cujus fines olim in unaquaque provincia descriptos immutari Canone prohiberetur. Excipiebat Eustathius Berytensem provinciam creatam fuisse authoritate Anatolii, qui coactâ Synodo ita sanxisset, etiam approbante Maximo Antiocheno, qui tum in Urbe Regia cùm adesset, decreto & ipse subscripserat, nihil planè indignatus in provincia, quæ sui juris foret, leges dicere Præsulem Constantinopolitanum.

Concilium Reverendissimorum Episcoporum, inquit Eustathius, factum est, *cui etiam Maximus Antiochiæ subscripsit*, ... Audiebat hæc Maximus, tum Calchedone præsens : quid reponit ? *Maximus Reverendissimus Antiochiæ Episcopus dixit : Charta mihi allata est, quæ habebat subscriptionem Sanctissimi Archiepiscopi Anatolii, quem ego sequens subscripsi* . . . . . Verba planè insignia, *quem ego sequens sub-*

scripsi: nempe honori ducit Antiochenus Episcopus se, in iis rebus quæ ad Orientem suum pertinerent, clausis, ut aïunt, oculis morem gerere mandato Constantinopolitanæ Synodi, absente se, tametsi in Urbe degeret, coactæ. *Nec verò ego*, inquit Eustathius, *civitates divisi, sed divisit sancta Synodus.* Quæ major, amabo, Byzantinis Episcopis autoritas deinde obtigit, quam ut Ecclesiasticas provincias, non in Thracia dico, Asia, vel Ponto, sed in Oriente constituerent, ipso Orientis Patriarcha collum jugo inserente? *Charta mihi allata est quæ habebat subscriptionem Sanctissimi Archiepiscopi Anatolii, quem ego sequens subscripsi.*

At ubinam gentium erant Apostolici Legati, dum hæc ultro citroque dicerentur? In consessu scilicet, ita ut, vel si dormirent, Antiochenus ipsis proximus, eos loquendo suscitaret. Cur ergo non commoventur, aut cur æquo animo ferunt usum ipsum potestatis, cujus vel ad nomen deinde exhorrescent?

Neque res hîc stetit. Cùm Photius nihilominus Episcopos creasset in civitatibus Berytensi attributis, propptereaque convocasset Episcopos novo Metropoli-

tæ ſubditos, eum Anatolius anathemate perculerat: depoſuerat verò Epiſcopos ab ipſo creatos: Eâ de re Photius conqueritur apud Calchedonenſes Patres.

At, *Quis miſit excommunicationem*, inquiunt Calchedone glorioſiſſimi Judices? *Photius Reverendiſſimus dixit: Neſcio: inde miſſa eſt*, nempe Conſtantinopoli. Hîc verò ſermonem arripiens *Anatolius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, dixit: Quædam egit* (Photius) *nullo more atque ordine. Hîc indignata Synodus*, Regiæ civitatis, *& juxta Canones commota excommunicationem ei miſit*. Hæc audiunt omnes, imprimis verò Legati Sedis Apoſtolicæ: nemo tamen Anatolio dicit: *In qua poteſtate hæc facis?* Tantùm *Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi Judices dixerunt. Dicat Sancta Synodus* Calchedonenſis, *licueritne ſanctiſſimo Archiepiſcopo Anatolio*, abſenti *Reverendiſſimo Photio excommunicationem mittere, ac jubere, ut ei certæ Eccleſiæ in provincia auferrentur; & an Synodum appellare liceat conventum Epiſcoporum qui in Regia civitate diverſantur.*

Tryphon Reverendiſſimus Epiſcopus Chii dixit: Synodus appellatur, & conveniunt,

& laborantes aliquâ oppressione sua jura nanciscuntur.

Atticus Reverendissimus Episcopus Zelorum dixit : Absentem nemo damnat. Omnes Reverendissimi Episcopi acclamaverunt : Nemo absentem condemnat. Hic rursus causæ suæ ac sedi suæ prospiciens *Anatolius Reverendissimus Episcopus dixit*: Tenuit pridem consuetudo, *ut qui in magna hac civitate morantur sanctissimi Episcopi, cùm eos temporis occasio vocat, de quibusdam Ecclesiasticis causis conveniant, ac singula definiant, responsoque dignentur qui precantur aliquid.*

Quæstio itaque in eo versabatur, utrum Photius excommunicari potuisset in Synodo ἐνδημούσῃ, hoc est, collecta ex Episcopis in Urbe tum fortuitò repertis, an verò & reum citari oportuisset & vocari omnes Patriarchico Concilio interesse solitos ? Posterius hoc defendebant cum Photio Calchedonenses Patres, saltem quantum ad primam partem : pro altero pugnabat Anatolius. Illi Canones allegabant, consuetudinem iste. *Nihil ergo à me factum est*, inquiebat, *quod novitati sit affine, nec qui ex consuetudine consederunt Sanctissimi, qui in civitate erant, Episcopi novam formam*

protulerunt, ac ostendit præsentiam Episcoporum actio quæ facta est.

Quæsitum deinde fuit, an cùm ordinaret Eustathius, socios adhibuisset secum ejusdem provinciæ Episcopos? Quo affirmante, nihilominus decretum est ordinatis à Photio, & gradum, & civitates competere. Unum duntaxat in Phœnicia & in singulis provinciis Metropolitam fore juxta Canonem Nicænum; nullam vim habituris eâ parte Sanctionibus Pragmaticis, quibus Imperator civitati alicui nomen ac jus Metropolis conferret. Itaque rescissa est Anatolii sententia post longam hinc & inde altercationem: in qua cùm liberè quisque, prout sentiebat, diceret, nihilque planè omitteretur, quod pro Photio contra Eustathium faceret, mirari satis non possumus à nemine fuisse exceptum, quod Anatolius alienam autoritatem usurpasset. Verùm, inquies, eam ipsi concedebant Græci. At Latini quid agebant interim, qui aderant, quique in hac causa interloquebantur, ut ex actis patet? Jam verò, siquidem ultro concesserant Græci omnes talem jurisdictionem Anatolio, cur eos causati sunt Legati vim esse passos, neque liberè, sed

coactè prorſus ſubſcripſiſſe Canoni ſancito in confirmationem talis Privilegii ?

Actione decimâ Ibæ Edeſſeni cauſa finita eſt, & ex Actis Berytenſis Concilii Calchedone relectis apparuit Accuſatores Ibæ cauſam egiſſe. 1°. quidem apud Domnum Antiochenum cui ſuberat Edeſſa ; deinde verò, cùm parum ab eo ſperarent, relicto Orientali Concilio, *adiiſſe Occidentale* (ſic enim ipſi appellant Conſtantinopolitanum, cui Flavianus præerat :) hunc verò *ſanctiſſimum Archiepiſcopum* ipſis aſſignaſſe Judices Photium Tyri, Euſtathium Beryti, eos ipſos de quibus modò, & Uranium Himerorum ; adeo non reclamante Domno, ut potius ipſe ad Flavianum ſcriberet *pro informatione*, ut aïunt. Neque vero ſatis habuit Flavianus Judices conſtituiſſe *in partibus :* Eulogium Eccleſiæ ſuæ Diaconum miſit qui judicio adeſſet. Porro, ut mandaverat, ſic planè factum eſt, nemine Orientalium Conſtantinopolitani Epiſcopi juriſdictionem detrectante.

Nos, inquiunt, in Libello ſupplice Samuël, aliique Edeſſeni Preſbyteri, *conſequenter & SECUNDÙM CANONES*,

adeuntes Concilium tam Orientale quàm Occidentale, oportuit nos & piissimum atque Christianissimum Principem nostrum pro iis deprecari.... Ex hoc ergo & sanctissimo nostro Archiepiscopo FLAVIANO *pariter* DECERNENTE, *& cum piissimo nostro Principe disponente, à vestra Sanctitate nostrum exerceri negotium, advenimus parati nobis adesse. Adimus igitur per hos nostros deprecantes libellos, ut jubeatur à vestra Sanctitate inchoari negotium.*

Berytensis Synodus.. in causa Iba.. relecta Calchedone.

Post Consulatum Zenonis & Posthumiani Calend. Septemb.... considentibus Photio & Eustathio & Uranio Religiosissimis Episcopis.... præsente & Damascio spectabili Tribuno, & Notario divini Palatii, & Eulogio Religiosissimo Diacono Christi amantissimæ Constantinopolis sanctissimæ Ecclesiæ, præsentibus Religiosissimis Iba, Joanne, Daniele, &c.... Eulogius Diaconus (Constanti opolis) dixit adeuntibus Reverendissimis Clericis, Samuële, Cyro, Eulogio, Mara, Ablavio, Joanne, & Anatolio, & Cajuma & Abibo, DEO AMANTISSIMUM, ET SANCTISSIMUM ARCHIEPISCOPUM NOSTRUM *Flavianum, in sanctissima Ecclesia Regia Constantinopolis*

novæ Romæ, & accusantibus Ibam, Joannem & Danielem Reverendissimos Episcopos; approbavit ejus Sanctitas vestram Religiositatem audire negotium; & (propterea scripta in ordinem redegi,) & tradidi vestræ Sanctitati, & adsunt partes ad quod vobis videtur.... Samuël dixit: Rogamus ut ea quæ dicuntur, dicantur Syra lingua propter Uranium, quoniam integrè novit ea quæ scripta sunt à Dei amantissimo & sanctissimo Archiepiscopo Domno de nobis: Adfuit enim Constantinopoli.... Ac rursus infra Samuel dixit: Rogamus ut hæc eadem Syra lingua dicantur Dei amantissimo & sanctissimo Episcopo Uranio, quoniam aderat Constantinopoli quando litteræ ad hoc scriptæ ab Archiepiscopo Domno ad Archiepiscopum Flavianum relectæ sunt. Et iterum adfuit in Antiochia quando de hoc moturi eramus sermonem.... Religiosissimus Episcopus Ibas dixit: Non fecit illorum mentionem Dominus Domnus in Epistola quam scripsit ad sanctissimum Archiepiscopum Flavianum.* Hic tamen ille est Flavianus, quem novæ ac illegitimæ jurisdictionis minimè cupidum proponebat Leo velut exemplum, quo Anatolii fastus damna-

* Deest hoc in Versione Latina.

retur. *Agnoscat*, inquit ad Pulcheriam, *cui successit viro, & repulso omni spiritu elationis, Flaviani modestiam, Flaviani humilitatem, quæ illum usque ad Confessoris provexit gloriam, imitetur.* Ep. 55.

Quàm pulchrè ac scitè responderet Anatolius: Dignetur sanctissimus Dominus acta Synodalia revolvere, ex quibus apparebit superbum Anatolium, nihil velle, quod non sibi deberi putaverit modestus atque humilis Flavianus. Porro Flaviani factum adeo non improbarunt Legati, ut potiùs declaraverint Ibam esse absolvendum vi Berytensis Decreti, ab iis scilicet Judicibus lati, qui nullam haberent Canonicam jurisdictionem, nisi quam à Flaviano accepissent.

Paschasinus & Lucentius Reverendissimi Episcopi, & Bonifacius Presbyter tenentes locum Apostolicæ Sedis per Paschasinum dixerunt: Relectis Chartis, iis scilicet quas supra retulimus, *agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum Ibam innoxium approbari*, ἀποδεχθῆναι.

Hactenus de jurisdictione ultra tres Diœceses. Nunc de ea quæ in ipsis Diœcesibus.

Actione undecimâ, Bassianus Ephe-

finâ ſede pulſus reſtitui petiit à Concilio.

Glorioſiſſimi Judices dixerunt : Stephanus Reverendiſſimus Epiſcopus in Baſſiani locum ſuffectus ad iſta reſpondeat ..... Stephanus Reverendiſſimus Epiſcopus dixit : Sunt hîc : Epiſcopi Aſianæ Diœceſis: veniant, & probemus quæ noſtra ſunt. Eſt Epiſcopus Magneſiæ Leontius, Maximus Epiſcopus Niſſæ, Proterius Epiſcopus Smyrnæ, & cæteri qui hîc ſunt. Glorioſiſſimi Judices dixerunt : Interim tu reſponde .... Stephanus Reverendiſſimus Epiſcopus Epheſi dixit ... Iſte Baſſianus neque ordinatus eſt in Epheſo, ſed vacante Sanctâ Eccleſiâ colligens ſeditioſorum turbam cum gladiis, & quibuſdam arenariis ſuperingreſſus eſt, & ſedit ibi. Si hunc judicat veſtra Magnificentia eſſe Epiſcopum, alia ratio eſt. Hoc ergo expulſo ſecundùm Canones, & projecto, ut merebatur, me quadraginta Epiſcopi Aſiani, ſuffragio & nobilium & plebis, & totius Reverendiſſimi Cleri, & omnis Civitatis ordinaverunt.

Quid ad hæc Baſſianus ? nihil enim ipſi potuit vehementius objici ?

Baſſianus Reverendiſſimus Epiſcopus dixit : Noli me circumvenire. Ego canonicè factus ſum Epiſcopus. Veni autem in Re-

giam Constantinopolim, & suscipiens nos rerum Dominus, id est, me, & eum qui erat in ipsa Regia civitate Episcopum Proclum, amicos nos fecit.... Et faciens Synodicam Proclus idem sanctissimus direxit, & Civitati, & Episcopis, & Clericis: mansi itaque sic quatuor annis, ita ut decem Episcopos ordinarem, & multos Clericos.

Hoc igitur unum habuit Bassianus quo gravissimum vitiosæ ordinationis crimen dilueret, Synodicas de sua ordinatione litteras datas à Proclo: Synodicas, inquam, susceptionis, non verò tantùm communionis, litteras, uti postea videbitur.

Stephanus Reverendissimus Episcopus Ephesi dixit: Jubeat Magnificentia vestra Episcopos Asianos, qui sunt hic, venire.... Gloriosissimi Judices dixerunt: Pro qua re vocas Reverendissimos Episcopos? Stephanus Reverendissimus dixit: Ut testentur de universis quæ gesta sunt; quandoquidem ipse super intravit in sanctam Ecclesiam cum gladiis & arenariis & aliis quibusdam, & sedit in sede, & pro hoc expulsus est à SS. Patribus & à sanctissimo Regiæ civitatis Romæ Leone, & à beatissimo sanctæ memoriæ Flaviano Constantinopolitanæ urbis, & ab Alexandrino & Antiocheno.

Hîc quoque habemus Constantinopolitanum inter Patriarchas secundum, eumque proinde Asiæ proprium: à quo Ephesinus Primas, non jam Autocephalus, deberet confirmari. Hinc ad eum Bassianus proficiscitur, ac Syncdicas susceptionis litteras expetit. Cur enim ab eo, si Autocephalorum more ageret? Scriberet utique ad tres majorum Sedium Antistites, mutuasque ab iis litteras acciperet, non verò proficisceretur ad unicum duntaxat, eumque Constantinopolitanum Episcopum, quem Ephesus, quandiu Autocephala fuit, inter infimi ordinis Episcopos semper numeravit.

In ista igitur causa, velut in præcedentibus, ambo contendentes ei deferunt Primatum, nihil abnuentibus, imo apertè probantibus Apostolicis Legatis, ut jam ostensum est. At videamus sequentia.

Gloriosissimi Judices dixerunt: Reverendissimus Episcopus Bassianus edoceat quis eum fecit Episcopum.... Lucianus Reverendissimus Episcopus Mysiæ dixit: Qui habuit jus, suscepit eum bonæ memoriæ Proclus.... *Stephanus Reverendissimus Episcopus Ephesi dixit:*

Beatus sanctæ memoriæ Flavianus expulit eum... Gloriosissimi Judices dixerunt: Si Proclus, sanctæ memoriæ, qui fuit Archiepiscopus Regiæ Constantinopolis suscepit Bassianum Reverendissimum Episcopum, & communicavit ei tanquam Episcopo Ephesiorum Metropolis, Reverendissimus Clerus sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ nos edoceat. Theophilus Reverendissimus Presbyter Constantinopolitanæ sanctæ Ecclesiæ dixit: Ut coram Deo, & suscepit eum sanctæ memoriæ Proclus communicantem, & Synodalibus litteris honorans dimisit eum ad Ephesum, & in Diptychis posuit nomen ejus, & recitabatur usque ad modicum ab hinc tempus. Omnes Reverendissimi Clerici Sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ dixerunt: Et nos hæc ipsa dicimus. Suscepit enim eum & communicavit ei beatæ memoriæ Proclus, & fecit Synodicas litteras, & in diptychis eum posuit. Cassianus Presbyter... dixit... Quomodo possibile est nunc Bassianum expelli præter consuetudinem regularem; cùm præcipuè beatissimus Proclus Constantinopolitanus Episcopus ei communicaverit, & per Synodicas litteras CONFIRMAVERIT EJUS EPISCOPATUM?

Nihilominus patuit vel ipsius Olympii testimonio, quem solum Episcopum

Baſſianus appellaverat, à quo Epheſina in ſede eſſet collocatus, verè illum fuiſſe intruſum. Declaravitque Olympius vim ſibi fuiſſe factam. Unde *Glorioſiſſimi Judices dixerunt: Nobis quidem videtur neque Baſſianum Reverendiſſimum Epiſcopum dignum exiſtere ut ſit Epheſiorum civitatis Epiſcopus; quoniam ex invaſione violenta Epiſcopatum ſibimet uſurpavit; neque Stephanum Reverendiſſimum Epiſcopum qui per conjurationes & tales adinventiones Epiſcopatum ſibimet acquiſivit.... Totum autem ſancto Concilio relinquimus. Sancta Synodus clamavit: Hæc juſta ſententia eſt.... Paſchaſinus & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi obtinentes locum Apoſtolicæ Sedis veteris Romæ dixerunt..... Quæ ab univerſo Concilio dicta ſunt, quid de hac cauſa, ſive de perſonis videatur, & noſtrum, & horum eſt confirmare ſententiam. Anatolius Reverendiſſimus Epiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ dixit, eos qui ſe contra legem, ſponſæ Chriſti Epheſinæ Eccleſiæ conjunxerunt, hos legitimè à ſe ipſa expellit. Igitur & qui inſilivit Sedi Baſſianus Reverendiſſimus Epiſcopus, & qui poſt illum inordinatè ſemetipſum immiſit Stephanus Reverendiſſimus Epicopus, quieſcant ceſſantes ab adminiſtratione ejuſdem Eccleſiæ. Dabitur*

autem

autem Ephesiorum Metropoli Episcopus à Deo monstratus. Sermo ille est hominis qui sit proprius Asiæ Patriarcha. Sed age, progrediamur.

Cùm viderent Asiani Episcopi rem eò tendere, ut jamjam novus Episcopus Ephesinus Calchedone consecrandus esset, *prostrati ante Sanctissimam Synodum Patrum dixerunt: Miseremini nostri . . . . . ut nobis clementia condonetur. Nam si Bassiano successorem suadeat aliquis hic ordinari, & filii nostri moriuntur, & Civitas Ephesius seditionibus deperit . . . . Gloriosissimi Judices dixerunt. . . Dicat Sanctissima Synodus, ubi volunt Canones Episcopum Ephesinæ Sanctissimæ Ecclesiæ ordinari. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: In Provincia. Diogenes Reverendissimus Episcopus Cyzici dixit: Consuetudo hoc habet. Si creatus fuisset Constantinopoli Episcopus, hæc facta non fuissent: ibi enim Salgamarios ordinant; & propterea eversio fit . . . . Leontius Reverendissimus Episcopus Magnesiæ dixit: A sancto Timotheo usquen unc viginti septem Episcopi facti; omnes in Epheso sunt ordinati. Solus Basilius violenter * hic factus est, & multæ cædes hinc ortæ sunt. Philippus Reverendissimus Presbyter Constantinopolitanæ sanctissimæ magnæ Ecclesiæ dixit sanctæ me-*

moriæ Joannes Episcopus Constantinopolitanus quindecim Episcopos deposuit. Profectus est in Asiam, & pro eis alios ordinavit; & Memnon hìc confirmatus est. Aëtius Archidiaconus Constantinopolitanus dixit: Et Castinus hìc* ordinatus est. Heraclides verò, & alii cum voluntate nostræ urbis Archiepiscopi ordinati sunt. Basilium similiter beatæ memoriæ Proclus ordinavit. Et beatæ quidem memoriæ Theodosius Imperator hujuscemodi ordinationi cooperatus est, & beatæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Canones obtineant: voces Imperatori. Clerici Constantinopolitanæ Ecclesiæ clamaverunt: Ea quæ sanctorum Patrum centum & quinquaginta obtineant privilegia Constantinopolis, ne depereant. Ordinatio* SECUNDÙM MOREM *ab Archiepiscopo nostro fiat.*

Hic est loci cardo, & causæ nodus; neque enim obiter, atque aliud agendo, sed data opera instituitur disceptatio de jurisdictione Constantinopolitanæ Ecclesiæ in Asia, & in ipsa Asiæ Metropoli.

Nec tamen quæritur an sit, sed quanta sit illa Jurisdictio; neque utrum E-

* Hìc? non certè Calchedone.

phesinus Episcopus Asiæ Primas subjiciatur Constantinopolitano (jam enim hoc professi sunt , ut vidimus , ambo contendentes) sed utrum necesse habeat, nisi secum dispensetur ; proficisci Constantinopolim , atque illic ordinari , non sine aliquo suæ Sedis opprobrio : cùm insignium Ecclesiarum præcipuum jus esset Episcopos in propria Civitate ordinari. Hujus privilegii defensores Asiani Episcopi volunt pristinos Canones valère. Constantinopolitanus Clerus non negat ita statuere pristinos Canones : At opponit Canonem novum Concilii videlicet Secundi, quo decidi contendit litem de ordinatione Ephesini , maximè cùm à tempore facti Canonis hujus Ephesini omnes Episcopi , non ab alio quàm à Constantinopolitano ordinati sint , nisi eodem annuente. Lis tota est de Constantinopolitano Canone utrum officere Nicæno debeat, etiam quoad ordinationē Ephesini Episcopi. Litis judicium Regii cognitores ad Synodum referunt. Adsunt Leonis Legati : audiunt : sententiam rogantur : vident Asianos nihil æquè expetere quàm ut subveniatur sibi, promptissimos fore ad propugnandum Nicænum Canonem , Constantinopoli-

tanum verò vel reſcindendum, vel certè reſtringendum. Hìc Legati, quaſi vel approbent, vel certè parùm curent Byzantinum Epiſcopum quidvis in Aſia poſſe, ne verbo quidem Aſianos adjuvant. Finitur cauſa. Tum multis diebus pòſt unanimi Græcorum omnium ac proinde Aſianorum conſenſu renovatur Conſtantinopolitanus Canon. Hìc demum exclamant Legati, nequaquam ſe paſſuros, ut ſtet ejuſmodi Canon Nicæno contrarius. Quid id ſit, fateor, non diſpicio.

Quærat fortè aliquis de Ordinatione Epheſini quid tandem reſponderit Synodus?

Glorioſiſſimi Judices dixerunt: Perſpicimus qua hìc deliberatione opus habeat ſanctum Concilium de ordinatione Epiſc patus Epheſinæ Eccleſiæ. Unde, ſi videtur, cras hoc perfectius diſponatur.

Die ſequenti habetur Actio duodecima.

Primo ordine, inquiunt Judices, *Sanctam Synodum dicere petimus, ſi quid majus deliberavit de Sanctiſſima Epheſiorum Eccleſia, utrum alium ei Epiſcopum oporteat ordinari?* Oportere Anatolius primùm, deinde Legati, qui poſtea locuti ſunt, cenſent. Judices, quaſi minus il-

lis ea ſententia placeret, tertio interrogant, ac propoſitis ſanctiſſimis Evangeliis ſingulos adhortantur, ut neutrum duorum lædant, ſed ſecundùm Deum quæ juſta ſunt decernant. Hic rursùs Anatolius primùm, deinde Legati, poſtea Antiochenus, Hieroſolymitanus, Cæſarienſis, Ancyranus, Coenſis, & ipſe Vicarius Apoſtolicæ Sedis, Doryleenſis, Cyzicenus, Myrenſis, Nicomedienſis, Synnadenſis, Calchedonenſis, ſingulatim quiſque decernunt: Antiochenus quidem, Coenſis & Cyzicenus, neutrum eſſe legitimum; per clementiam verò, ne ſeditio generetur, poſſe alterutrum ſuſcipi ab Aſiana Synodo. Cæteri omnes utrumque eſſe removendum.

Quibus auditis, *Glorioſiſſimi Judices dixerunt: Placet-ne Sancto Concilio interlocutio Dei amantiſſimi Archiepiſcopi Anatolii, & Reverendiſſimi Epiſcopi Paſchaſini obtinentis locum Romanæ Apoſtolicæ Sedis, quâ declaratum eſt ambos quidem eſſe removendos, tanquam præter Regulas factos; alterum verò ordinari debere: prædictos verò habere Epiſcopi dignitatem, & à ſanctiſſima Epheſina Eccleſia nutriendos? Sancta Synodus exclamavit: Hæc pia interlocutio ſecundùm regulas eſt. Diogenes Reverendiſſi-*

mus Episcopus Cyzici, mutata priori sententia, *dixit: Aliarum hac melior. Gloriosissimi Judices dixerunt: Quoniam placuit universis interlocutio Dei amantissimi Archiepiscopi Anatolii & Reverendissimi Episcopi Paschasini obtinentis locum Leonis Dei amantissimi Archiepiscopi senioris Romæ præcipiens, eò quòd uterque contra regulas factus est, neutrum denominari, neque præesse sanctissimæ Ephesiorum Ecclesiæ, removebuntur quidem... alter verò secundùm regulas ejusdem sanctissimæ Ecclesiæ Episcopus ordinabitur.*

Ubi verò ille sit ordinandus, quæ fuerat diei præcedentis acerrimè concertata quæstio, nemo verbum facit, indicio, ut mihi quidem videtur, manifesto, vicisse novæ Romæ Ecclesiam, & Asianis ipsis, ut acquiescerent, fuisse persuasum.

Actione decimâ-tertiâ, Eunomius Nicomediensis queritur Basilinopolis, quæ suæ Provinciæ civitas esset, Clericos fuisse anathemate perculsos ab Anastasio Nicæno. Respondere jussus Anastasius dixit: *Priùs ostendat, quia Basilinopolis sub ipso est, & quia Clericos Ecclesiæ suæ excommunicatos feci. Hæc duo probet.... Ego autem diversa monstraturus sum; quoniam*

abripuit Parochias meas, & multa, quæ non est consuetudo facere Nicomediensem, fecit in me; & passus sum in omnibus: SUPPLICANS ARCHIEPISCOPO, ET JURA MEA EXAMINARI DEPOSCENS.

Gloriosissimi Judices dixerunt: Quomodo te monstrare promittis Basilinopolim sub Nicæa jam olim fuisse? Anastasius Reverendissimus Episcopus Nicænus dixit.... Sunt Epistolæ B. Joannis Episcopi Constantinopolitani ad Nicænum Episcopum, ut iret & emendaret Ecclesiam, tanquam sibimet competentem... Habeo litteras ad beatæ memoriæ Proclum... Eunomius Reverendissimus Episcopus dixit: Quia excommunicavit Clericos Basilinopolis mihi subjectos, possum ostendere. Testem voco sanctissimum magnæ Constantinopolis Archiepiscopum qui suscepit eos, & reddidit eis communionem. Anastasius Reverendissimus Episcopus dixit: Non verè dicis. Eunomius Reverendissimus Episcopus dixit: Da Epistolam Domini Archiepiscopi, ubi reddidit eis communionem, & ubi scripsit tibi quod præter Canones fecisti.... Anastasius Reverendissimus Episcopus dixit: Jubete me probare paululum: Obtuli libellos Archiepiscopo qui fuit, rogans eum ut rogaret Dominum Eunomium Episcopum, & audiret INTER JURA NOSTRA. *Dedit litteras, & ad me, &*

ad eum, scribens ambobus, & dicens : Nullus vestrum introducat aliquam NOVITATEM, SED CONSISTITE IN REBUS ANTIQUIS : EGO ENIM NOVI QUOMODO DEBEAM METROPOLES HONORARE. *Et habeo hujusmodi Litteras, & ego, & ipse : Accepi ego sicut dixi tales litteras ... venerunt Basilinopolitani Clerici adeuntes me adversùs suum Episcopum. Ego* CUSTODIENS MANDATA ARCHIEPISCOPI, *dixi : Non vos suscipio, sed abite ad Archiepiscopum, & si* MIHI JUSSERIT, *audiam.*

Ullone potuit illustriori testimonio declarari sensus Provinciarum Asiæ de Primatu Byzantini Episcopi, cujus JUSSA susciperent, cujus MANDATA CUSTODIRENT, & ad cujus, velut proprii Patriarchæ tribunal, caussas omnes suas deferrent ? Audiunt hæc Legati Paschasinus atque Lucentius ; audiunt Asianos attestantes, quod nunc fieret jam olim factum esse sub Joanne Chrysostomo, sub Proclo, sub Flaviano Martyre : non indignantur hìc, non opponunt Nicænas leges : placidè ferunt Constantinopolitanum Canonem diligentissimè servari. Ubi verò unanimi Patrum consensu confirmatus est, tum primum

primum exclamant irritum esse atque illegitimum Canonem, ut pote Nicænis contrarium.

Interim, ut priùs, cùm de Phœnicia ageretur, ita nunc in causa Bithyniæ statuit Synodus, singulas provincias à singulis regi Metropolitis debere, proptereaque omnes Bithyniæ ordinationes Nicomediensi competere.

Ad hæc *Aëtius Archidiaconus splendidissimæ Constantinopolis gloriosissimis Judicibus dixit: Suggerimus vestræ Magnificentiæ rogantes ut nullum præjudicium piissimæ Constantinopolitanæ Sedi fiat ex his quæ interlocutoriè prolata sunt à sanctissimis Episcopis, Nicomediensis civitatis Eunomio, & Dei amantissimo Nicænorum Episcopo Anastasio, aut quæ inter eos ordinantur. Etenim Constantinopolitana Sedes, aut ordinationem ipsa facit in Basilinopoli cum cæteris, aut eam permittit fieri: sicut litteris quæ fiunt vel factæ sunt sæpiùs ostendere possumus: & rogamus ut Epistolæ proferantur. Sancta Synodus clamavit, Canones teneant. Canonibus satisfiat. Gloriosissimi Judices dixerunt. Auctoritatem quidem Metropolitani inter Ecclesias provinciæ Bithyniæ Nicomediensis Reverendissimus habe-*

bit Episcopus . . . . hoc enim visum est etiam sancto Concilio. Quæcumque autem Sedi Constantinopolitanæ sanctissimæ Ecclesiæ de faciendis ordinationibus (inferiorum Episcoporum) *in Provinciis competunt, hæc suo ordine coram sancto Concilio examinabuntur:* quippe Canon Constantinopolitanus supra memoratus ei tribuit ordinationes Metropolitarum TANTUM ; quod etiam disertè expressit deinde Calchedonensis. Basilinopolis verò, ut patet, inferioris ordinis civitas erat, non autem Metropolis. *Eunomius Reverendissimus Episcopus dixit : Gratias ago justitiæ judicii Magnificentiæ vestræ, & diligo Archiepiscopum splendidissimæ Constantinopolis, obtinentibus utique regulis. Gloriosissimi Judices dixerunt : Quæ dixisti conscripta sunt.*

Mitto aliud difficultatis genus petitum ex Actione septima, in qua tres Legati *pro bono pacis* decernunt Patriarchalem Jurisdictionem Episcopo Hierosolymitano, hoc est, *ut Antiochensium Ecclesia duas Phœnicias, & Arabiam habeat, Hierosolymorum verò tres Palæstinas possideat. Hæc autem*, inquiunt, *nostra humilitatis interlocutione firmentur, ut nulla in posterum de hac causa prædictis Ecclesiis contentio relinquatur.* Si enim pacis causâ placuit

derogari Canoni Nicæno in gratiam Hieroſolymitani Epiſcopi ; quomodo negant deinde eidem Canoni derogari poſſe abſque crimine in gratiam Byzantini ?

Verùm, inquies, aſſenſerat Antiochenus, ut tres Palæſtinæ cederent Hieroſolymitano. Fateor : At conſenſerat Dioſcorus Alexandrinus, conſenſerat Maximus Antiochenus, ut primus poſt Legatos locus cederet Anatolio ; conſenſerant Aſiani, Thraces & Pontici ejus tribunali ſubjici ; conſenſerat omnis Synodus ut eſſet inter Patriarchas ſecundus ; qui vero eum *quinto* duntaxat *loco poſuiſſent*, illos ſuo ſuffragio Legati damnaverant, decernentes primum eſſe debere. *Ecce nos, Deo volente, Dominum Anatolium primum habemus.* Par igitur utrobique ratio.

Verùm enim verò cur Latinos miramur velut ſibi minus cohærentes & conſentaneos, non autem Græcos potiùs, utì mortalium inconſultiſſimos, ac mentis planè expertes ? Age, cùm Legati, coactis propterea in conſeſſum Patribus, Canonem pridie ſancitum reſcindi petierunt ; quid magis pronum, magis obvium fuit, quàm illos opponere ſibi-

met; rogare ſuine ipſorum teſtimonii rationem aliquam haberi vellent? Meminiſſent, quid à ſe geſtum, quid dictum toto durante Concilio, quo loco ſediſſet Anatolius, quo ſederet nunc quoque: ut damnatus Romano calculo Præſes Epheſini latrocinii, qui Flavianum quinto duntaxat loco admiſiſſet, cùm primus illi ſecundùm Canones deberetur: ut ſemper & ubique Anatolius ante cæteros omnes dixiſſet ſuntentiam, ſubſcripſiſſet Actis, ac cætera quævis primi poſt Romanum, Patriarchæ munia geſſiſſet: ut ipſius ac deceſſorum jura in tres Diœceſes, non ſolùm admiſſa, ſed Concilii tabulis conſignata: ut judicia per totum latè Orientem, non modò ſuſcepta, ſed Legatorum voce comprobata: atque adeo de Byzantini Epiſcopi poſt Pomanum Primatu qui non aſſentirentur, eos jam non ultimum duntaxat Canonem, ſed omnia prorſus Concilii præſentis acta reſcindere, omnia monumenta convellere.

Hæc, quæ oculos, quantumvis hebetes feriant, nemo Græcorum advertit, nemo Legatis opponit! Sexcenti Patres in ea rerum dicendarum copia quod dicant nihil habent, & qui uno verbo adver-

ſarios poſſent mutos reddere, ipſi obmuteſcunt!

At parum, inquies, curabant Græci quid Legatis reponerent. Itane verò? quorſum igitur tam ſollicitè refellunt duo quæ ſibi à Legatis objiciebantur; alterum de Canone clam ſancito, alterum de ſubſcriptionibus per vim extortis? Et de poſtremo quidem apertè conteſtantur, falſum eſſe quod invitus quiſquam ſubſcribere ſit compulſus: de altero verò aſſerunt id, quod miror à nullo è Latinis Scriptoribus fuiſſe obſervatum. Hi nempe uno omnes ore pronunciant Canonem fuiſſe conditum furtim, & clam Legatis; cùm tamen his illud objicientibus, Acta habeant reſponſum fuiſſe in hæc verba: *Rogavimus Dominos Epiſcopos de Roma* (inquit Aëtius) *ut communicarent iis geſtis: refutaverunt dicentes talia ſe non ſuſcepiſſe mandata. Retulimus & ad veſtram Magnificentiam*, (alloquitur Judices) *& juſſiſtis ut præſens ſanctum Concilium hoc ipſum inſpiceret: procedente veſtrâ Magnificentiâ, ſanctiſſimi Epiſcopi qui hîc ſunt, tanquam de communi cauſa, ſurgentes popoſcerunt hanc actionem celebrari. Et adſunt hîc; neque in occulto geſtum eſt; neque furtim ſunt geſta, ſed*

Dum me in omnes partes verto, ut hæc ultima pars Actorum Calchedonensium cum reliquis aptè congruat, ac veluti consonet, suspicari cœpi, Legatis aliam fortasse intercedendi causam fuisse ab ea quæ vulgò creditur; neque illos tam acriter adversaturos Canoni, si ea tantùm Episcopo Byzantino tribueret, quibus tranquillè plenaque Legatorum pace toto duranteConcilio potitus erat Anatolius, honore scilicet confessus supra cæteros Patriarchas, & jurisdictione in Thraciam, Asiam ac Pontum: at verbis Canonis aliud longè importari, nempe omnimodam æqualitatem, ut Romæ utriusque, ita utriusque Episcopi: nisi quod Novæ Romæ Episcopo Veteris Episcopus anteiret, utpote antiquioris Ecclesiæ Pastor non tamen dignioris, nec qui divina auctoritate constitutus sit cæterorum quotquot sunt EpiscoporumPræses; cum profanæ, duntaxat Veteris Romæ dignitati debeat Romana Sedes quòd cæteris orbe toto Sedibus fuerit, non Christi, sed hominum instituto prælata. *Etenim Sedi senioris Romæ* (inquit Canon) *propter Imperium civitatis illius Patres consequenter*

privilegia tradiderunt, & eadem intentione permoti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi ÆQUA *sanctissimæ Sedi Novæ Romæ privilegia tribuerunt; rationabiliter judicantes, Imperio & Senatu urbem ornatam, & æquis senioris Romæ privilegiis fruentem; habere quoque majestatem sicut illam in Ecclesiasticis negotiis, & secundam post illam existere.* Huc respexisse videntur Legati cum disceptata iterum causa, Canoneque à Judicibus confirmato, rursus intercesserunt dicendo: *Sedes Apostolica nobis præsentibus* HUMILIARI *non debet: & ideo quæcumque in præjudicium Canonum hesternâ die gesta sunt.... circumduci jubeatis, &c.* Quî enim, amabo, *humiliatur* Apostolica Sedes, si Byzantinus Episcopus Alexandrinum præcedat, tresve Diœceses moderetur? Dejectio igitur illa depressioque Apostolicæ Sedis, quæ Legatos impulit ne Canoni assensum darent, videtur fuisse, non evectio Byzantini supra tres Græcæ Ecclesiæ Patriarchas, quibus eum præesse permiserant, imo & jusserant, sed æquiparatio amborum Romæ utriusque Antistitum, quam Græci nunquam non tentarunt, nunquam non Latini refellere, & modis omnibus amoliri debuerunt.

Et hæc quidem ſolutio, Lector Benevole, ſi propoſitæ à me difficultati judicio tuo ſufficit, cauſa finita eſt. Fateor tamen relinqui mihi ſcrupulos haud leves.

Nam 1°. cùm æquiparatio illa duabus implicita eſſet fœdiſſimis hæreſibus, quarum altera duplex facit Eccleſiæ caput, altera humano arbitrio, non divino conſtitutum fuiſſe ponit; ad hæc monſtra Legati Leonis minimè cohorreſcunt; ſed nec ipſe Leo veneni quidquam illîc deprehendit; non Anatolium, non Græcos impietatis arceſſit: quod utique facturum, pro certo habeamus neceſſe eſt, ſi tale quid eos ſuſpicaretur voluiſſe.

Dum igitur Anatolium faſtûs quidem & ambitionis, nunquam verò pernicioſi Dogmatis, & Hæreſeos arguit, manifeſtè indicat Anatolium ſupra cæteros quidem tentaſſe aſſurgere, non tamen ad eumdem gradum cum Romano Pontifice.

Deinde ſi jam cætera fuerant conceſſa, cur Leo tanto dicendi ardore cauſam agit, non ſuæ quidem Sedis, de qua ipſe ne verbum quidem facit, ſed Alexandrinæ, ſed omnium Sedium Me-

tropolitanarum, Asiæ, Thraciæ, Ponti, quarum jura contestatur Legatos suos violari noluisse, seque decessorum exemplo acerrimè servaturum? In eo enim totus est, ut quam appellavit *novitatem* sæpe tentatam, nunquam tamen impunè permissam, significet esse prærogativam honoris ab Anatolio quæsitam supra memoratos Ægypti & Orientis Patriarchas.

Sed si hæc ipsa est *Novitas* quam Leo Magnus appellat sæpe *tentatam nunquam tamen impunè permissam*, quid Actis Calchedonensibus fiet? En illa statim initio à me expressa difficultas, & toto deinde scripto, majori in luce posita: quam quidem Viris doctioribus malim dispiciendam tradere. Eam ipsis laudum segetem parasse mihi certè indecorum non erit; si modò tibi, Lector benevole, quantula hæc-cunque lucubratio probetur. Probabitur certè, ut spero, animus, quo non docentis, sed interrogantis potiùs partes egi.

Aliæ Observationes ad Nestorianam Historiam, ac varios tum veterum tum recentiorum auctorum qui eam attigerunt locos, edentur mox,

ſi Deus voluerit, Gallico ſermone, utpote quæ pertineant ad Hiſtoriam Gallicè ſcriptam : ſed nihil vetabit, Latinè deinde, ſi opus erit, reddi.

FINIS.

Summa Privilegii.

CAutum eſt Privilegio Regio, ne quis eas Obſervationes imprimere, aut divendere poſſit intra decennium citra authoris facultatem ſub pœnis in ipſo Privilegio expreſſis.

Relatum in publicas Bibliopolarum Tabulas, Pariſiis 27. Februarii 1697.

P. AUBOUIN.

Pariſiis, Ex Typographiâ Antonii Lambini.

MC